1 Avril 1703

SS^mi D. N. D. CLEMENTIS, Divinâ Providentiâ PAPÆ XI. damnatio & prohibitio quorumdam foliorum impreſſorum ſub titulo, *Deux Lettres de M. Chanoine de B. à Mr T. D. A. &c. Cas de Conſcience propoſé par un Confeſſeur de Province touchant un Eccléſiaſtique qui eſt ſous ſa conduite.*

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM nuper in lucem prodierint quædam folia gallico idiomate edita ſub titulo, *Deux Lettres de M. Chanoine de B. à Mr T. D. A. &c. Cas de conſcience propoſé par un Confeſſeur de Province touchant un Eccleſiaſtique qui eſt ſous ſa conduite, & reſolu par pluſieurs Docteurs de la Faculté de Theologie de Paris* : quàm plures autem ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, quos ad examen dictorum foliorum ſpecialiter delegimus, auditâ ac diligenter perpensâ foliorum hujuſmodi cenſurâ quæ coram nobis relata fuit, folia ipſa damnanda & pro-

hibenda esse censuerint : hinc est quòd nos pro commissa nobis ab æterno Pastore gregis sui cura, Dominicas oves, quantùm ex alto nobis conceditur, à noxiis præservare cupientes, de memoratorum Cardinalium consilio, folia prædicta, autoritate Apostolica, tenore Præsentium damnamus & reprobamus, ac legi & retineri prohibemus, illorumque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem & usum, omnibus & singulis Christi fidelibus, etiam specifica & individua mentione & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes, ipso facto, absque ulla declaratione incurrenda, omnino interdicimus. Volentes & autoritate præfata mandantes, ut quicumque eadem folia penes se habuerint, illa statim atque præsentes Litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere atque consignare teneantur, in contrarium facientibus nonobstantibus quibuscumque. Ut autem eædem præsentes Litteræ ad omnium notitiam faciliùs perveniant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, Volumus & eadem autoritate decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ generalis in Monte-Cittorio & in acie Campi-Floræ de Urbe, per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur ; & sic publicatæ, omnes & singulos quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ & intimatæ fuissent ; utque ipsarum præsentium Littera-

rum tranſſumptis ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in Judicio quàm extra illud ubique locorum habeatur, quæ eiſdem Præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xij. Februarii M. DCCIII. Pontificatus noſtri anno 3°.

F. OLIVERIUS.

ANNO à nativitate D. N. J. C. 1703. indictione undecima, die verò 13° menſis Februarii, Pontificatus autem S^mi in Chriſto Patris & D. N. D. Clementis Divinâ Providentiâ Papæ XI. anno 3°. ſupradictæ Litteræ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, magnæ Curiæ Innocentianæ, in acie Campi-Floræ, & aliis locis ſolitis & conſuetis urbis, per me Thomam de Unionibus ejuſdem SS^mi Domini Papæ Curſorem.

Pro D. Mag. Curſ. THOMAS ORLANDUS,
Apoſt. Curſ.

Romæ, Typis Rev^dæ Cameræ Apoſtolicæ.

Case
Wing
folio
.Z
144
.A1
v.3
no.5

THE NEWBERRY LIBRARY